

fol.

NUMMI HONORARII

RUDOLPHI SECUNDI IMPERATORIS,
& Matthiæ Archiducis Austriæ: Cusi in Comi-
tiis Ratisbonensibus, Anno Chri-
sti 1598.



UM amissis Jaurino & Agria, Rudolphus II. Imperator, quanto in discrimine non sua tantum regna, verum etiam universa Respublica Christiana versaretur facile intelligeret, Comitia Ratisbonam indicit: misso eò Matthiâ fratre, cum egregio præclarissimorum virorum comitatu. Ubi cum Ordinum legatis prolixâ oratione exponeretur, ingentem vim pecuniæ superioribus annis in apparatus bellicos absumptam: multò minores esse copias, quam quibus aperti certaminis alea, contra tantam hostium multitudinem committi posset: dum æstivis tantum mensibus sub signis miles haberetur, multos prærumque rei præclare gerendæ elabi occasiones: contra hyeme, ubi iam omnia gelu obriguerunt, pabuli inopiâ hostibus ad interiora regionum compulsi, multas utiliter suscipi perficiq; expeditiones posse, tandem summa petitionis eò rediit, ut quinq; proximis annis singulis tricenum mensium auxilia status penderent: duodecim peditum: quatuor equitum millia parata haberent: quibus, veluti subsidiariâ cohorte, & exercitus suppleri, & forrè offensione acceptâ ingruenti periculo obsisti, partâ verò victoriâ hosti insisti, ac bellum latius spargi possit. Ab iisdem statibus petitum, ut Viennæ & hostibus vicinæ, & necessario ad defensionem apparatus, tot expeditioni;